

Festum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum veteris Calendarii (quod de Legi Regni sublatum esset) signanter in possessione Draganich prope Carlostadium protraherentur:

§. 1. Quae ut absolute tollantur et leges superinde sancitae observentur; decernitur.

§. 2. Pari ratione Quarteria Hybernalia, inconsueto quodam praetextu, practicari coepit; abrogantur.

Ut Domini Colonelli et alii Officiales Confiniarii ab Injuriis et violentiis, Regnicolis inferendis, coercentur; Regnicolaeque in et circa Confinia Bona habentes hominibus eadem replere valeant.

Articulus 74.

Quoniam sat graves injurias et violentias nonnulli Domini Colonelli et alii Officiales Confiniarii in Confiniis Sclavonicis et Croaticis, in Bonis, Praediis, Sylvis, Aquis, Piscaturis et piscium clausuris, fundisque Curiarum et domorum inferre solerent, fructusque et utilitates sibi vendicarent:

§. 1. Eapropter sancitum est communi suffragio; ut sua Majestas per sua media, benignaque Mandata et Decreta, ab ejusmodi damnis, violentiis et injuriis inferendis eosdem Colonellos et Officiales clementer coercent; occupataque Jura restituunt, et contrarium facientes, condigne puniri faciat.

§. 2. Regnicolae vero in et circa Confinia, loca deserta et Praedia, ac Bona habentes, eadem hominibus replere pro emolumento et defensione Patriae (quorumvis Colonellorum Confiniiorum, aut aliorum reclamationibus, obstare non valentibus) possint et valeant.

§. 3. Qua occasione, etiam Articulum 49. An. 1647. renovant, et observandum declarant; includendo milites et Officiales Germanos universos quoad educillum.

De medietate tam ordinariae Tricesimae, quam auctionis ejusdem in Regno Croatiae et Sclavoniae, pro milite Colapiano convertenda.

Articulus 75.

Siquidem Regnum Croatiae et Sclavoniae gravi admodum militum Colapianorum non solum ad Conservationem illius Regni, verum etiam vicinarum suae Majestatis haereditariarum Provinciarum securitatem majorem, praeteritis temporibus conductorum exolutione premeretur: Ad quam exolutionem, Contributiones et Diae ejusdem Regni cum minime sufficerent; idem Regnum debita etiam ad plura millia se extendentia, contrahere necessitatum sit:

§. 1. Eapropter ex benigna suae Majestatis annuentia; tam medietas ordinariae ejusdem Regni Tricesimae, quam ejusdem auctionis per Supremum